POSITIONES ALIQVOT LOGICÆ, ETHICÆ, PHYSICÆ, METAPHYSICÆ ASTRONOMICÆ & COSMOGRAPHICÆ

A STVDIOSIS QVIBVSdam adolescentibus Salvatoriani Collegii alumnis cursum philosophisum jam emensis, & rudem ac Lauream magistralem poscentibus, in publico Philosophantium consessu propugnandæ Academiæ ad diem Kalend. Quinct. Anno 1613. horis & loco solitis,

Præside

GVLIELMO LAMMIO.

Philosophiæ Professore.

Μὴ σύ μοι διαλέγεσθαι μὲ σαὶ ἀγήνορ ὃν βουλόμενον ἢ ἃ αὐτὸς ἀκούῃ ἐναντία ταῦτα διασκέψασθαι. Ἦ γοῦν μὰν γὰρ πάνυ λέξειν τὰ τὸν Ὅμηρον.

Iliad x. Σὺν τε δυ' ἐρχομένω καὶ τε πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν.



EDINBURGEN. EX BIBLIOTH. UNIV.

Edinburgi.
Excudebat Andreas Hart Bibliopola. Anno Dom. 1613

POSITIONS
ΠΟΥΟΤ

MANIBVS

BEATISSIMIS ILLVSTRISSIMI PRAESVLIS IACOBI KENNEDI, *SALVATORIANI* COLLEGII FVNDATORIS MVNIFICENTISSIMI POSITIONES HASCE PHILOSOPHICAS.

D.D.C.

Liberum patrem, Herculem, Romulum, Tyndaridas, omnes de communi hominum societate, benè meritos, quos vulgo ademptos virtus ipsa sibi consecravit, posteritas etiam non ingrata, numinum effigie sacrandos censuit.

Sacrandi non minus vos manes beati, terrenis jam exempti rebus, & cælesti πανηγυρει aggregati, qui cum videretis rebus humanis nulla re melius consultum iri, quam si barbaries è medio tolleretur, & profligaretur infoelix, qua nullum in terris tristius, nullum magis horrendum grassatur monstrum, hoc domicilium pietatis, hanc virtutum sedem, hanc artium & disciplinarum officinam, & constituistis, & in constitutam liberalitatis fontes tam copiosè effudistis, ut ejus fluentia jam post aliquot sæcula nunquam defecerint, licet nullius vel rivuli accessione auctiora. Qui Castalij hujus fontis haurtunt aquas, ij plenis honorum muneribus liberalitatem vestram æternabunt per titulos memoresque fastos. Qui in hoc non Phæacum, sed Musarum horto, arborum à vobis satarum, & tam fertili depactarum solo suavissimis fructibus vescuntur, ij nomen numenque vestrum grandiore tuba in omnem non modo ævi sui, sed æternitatis memoriam celebrabunt. Nos quadriennium jam vestri alumni, ac tot liberalitatis auctoramentis vobis obstricti, cogitabamus sæpiùs nobiscum, quonam grati animi hostimento, si non θρεπτηρια καὶ διδακτρα rependere, at memoriam saltem testari possemus. Interpellavit tandem in hac cura & cogitatione defixos Philosophici hujus fœtus efflagitatio, qui natus in vestro collegio, exire cum vestra bona venia, & publici juris fieri exposcit: Vos sibi patronos, vindices, & Mœcenates exoptat, quorum vel tutelæ commissus, vel dicatus clientelæ, funestam possit livoris & sycophantiæ petitionem declinare. Sed quia vos recepti jam sedibus quietis manes, beati cives cælites, ritus hos profanos tantum non ridetis, veniat in tutelæ hu-

hujus ſocictatem tantis majoribus digniſſima proles, nobiliſſimæ Kennedorum *familiæ princeps meritiſsimus, quem ad virtutis amorem, ad politioris literaturæ cultum, ſic natura peperit, ſic exercuit voluntas, ut incorruptis rectè ſentientium ſuffragijs principem locum inter eos facile obtineat, qui ſapientiæ proceres & Muſarum* Pompilij *cluunt. Gemino ſubnixus præſidio factus hic noſter infirmus informis, exibit periculi ſecuras per domicilia Muſarum, qui nec vitam à ſe, nec genium habet, veſtræ gratiæ aura, tanquam benefico afflatus ſidere, non vivet ad tempus, ſed perennabit. Macte Comes generoſiſsime, & perge literas amare, literas, publicæ famæ, honoris, gloriæ buccinas: perge literatos tuo præſidio tueri ac fovere: perge tua virtute ad priſtinam* Kennedorum *lucem* παντοίης ἀρετῆς κεκασμένην *fulgentiſsimum afferre ſplendorem. Nos qui ſertum hoc ingenij, hanc gratæ voluntatis teſſeram, hoc devotiſsimarum mentium pignus ac monumentum ad pedes tuos conſecramus, tibi in patriæ cui natus es uſum, in collegij Salvatoriani, quod te tanto alumno gloriatur bonum, diuturnam & felicem precamur vitam, & cineri veſtro Manes beati, vovemus.*

tenuem, & ſine pulvere terrã,

[*]

Spiranteſque crocos, & in urna perpetuum ver-

Iohannes Hamiltonus.
Alexander Clericus.
Iohannes Aytonus.
David Areſkinus.
Alexander Durhamus.
Robertus Barronus.
Georgius Sophocardius.
Patricius Drummondus.
Edwardus Provandus.

David Wemius.
Iohannes Brydeus.
Gulielmus Stephanides.
Georgius Dudingſtonus
Robertus Mileſius.
Iacobus Philippus.
Iohannes Rollocus.
David Dickeus.
Andreas Watſonus.

POSITIONES
LOGICÆ.

NAtura homini rationem & intelligentiam dedit: Intellectus humanus artium & scientiarum habitus propriis actibus, præeunte sensuum ministerio, observatione, & experientia comparavit: ita cum reliqua animantia ταῖς φαντασίαις μονὸν καὶ ταῖς μνήμαις vivant ἐμπειρίας μετέχοντα μικροῖ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος καὶ τεχνη ζῆ καὶ λογισμοῖς, Arist. 1. Met. 1.

2. Intellectum humanum ad artes inveniendas excitavit partim indigentia, partim innatus iste in omnibus cognitionis & scientiæ amor, de quo Cicero lib. 5. de finibus, & Arist. 1. Met. 1. Simul etiam admiratio ut docet Plato in dialogo de scientia, explicans Poetarum fabulam de Thaumante & Iride, qua significare voluerunt ex Thaumante, id est, admiratione, natam Irim, id est cognitionem rerum.

3 Admiratio ex cognitione & ignoratione proficiscebatur, ex cognitione effectorum, & caussarum ignoratione: ideo de primis artium inventoribus verum est illud Platonis in convivio effatum, nec sapientes nec prorsus ignorantes esse Philosophos, sed eos qui medio quodam modo se habent.

4 Artes inventæ necessaria ad vitam tuendam præsidia suggerendo humanæ indigentiæ medentur, Plato lib. de regno: animum præstanti rerum cognitione excolendo innatum illud sciendi desiderium explent: in abditarum & latentium caussarum cognitionem ducendo, admirationem tollunt.

5. Divi-

5. Dividi possunt artes ratione eorum in quibus versantur, in reales & sermocinales: ratione finis in contemplativas, activas & effectivas. De numero sermocinalium & effectivarum est Logica, quæ inter reliquas sui ordinis tantùm caput effert, quantum inter facultates hominis ratio.

6. Rationem enim humanam, in hoc post lapsum sensibus infeliciorem, quod non possit propria & insita virtute se determinare ad objectum suum fideliter cognoscendum, dirigit Logica variis instrumentis, præcipuè Syllogismo, quem Arist. sibi tanquam primo auctori arrogat, & solum ex instituto in libris suis Logicis tradit: quanquam Logicæ in se consideratæ subjectum adæquatum, reliqua etiam instrumenta Logica quæ mentem humanam perficiunt, & in rerum cognitione dirigunt ambitu suo complectatur. Hoc Cicero orationem philosophicam, & ratione conclusam, alii modum sciendi aut modum differendi appellant.

7. Syllogismus est ratiocinatio, quæ ex duabus enunciationibus certo modo copulatis conclusionem conficit necessario. Enunciatio est oratio verum aut falsum significans, qua aliquid de aliquo affirmatur aut negatur.

8. Veritas non in compositione tantùm & divisione consistit, sed aliqua etiam in simplici rerum apprehensione, entium realium propria, cùm illa quæ in compositione & divisione consistit, etiam entibus rationis & negationibus conveniat. Nam ut verum est hominem esse animal, ita verum est notionem generis esse relationem, & cæcitatem esse negationem visus in subiecto capaci.

9. Nulla enunciatio significat formaliter obiectũ suũ verum esse, atq. hac ex parte pares sunt voces simplices & enunciationes vocales, quæ tamen in hoc differunt, quod voces simplices non solũ non significent formaliter rem ullam veram esse, sed neque id innuant, omnis autem enunciatio obiectum suum verum esse insinuativè significet, licet non formaliter.

10. Affirmationem cum bona Fracastorii venia negatione priorem dicimus, & cognitione, cùm negationem ex habitu cognoscamus non contra: & simplicitate, cùm negatio fiat ex affirmatione & aliquo addito: & ratione significati, cùm prius sit rem

esse

esse quam non esse: & ratione veritatis, cùm veritas cujuscunque enunciationis negativæ fundamentum habeat in veritate alicujus affirmativæ.

11. Ex affirmatione & negatione oritur contradictio: cujus partem alteram determinatè veram esse, alteram falsam, etiam in singularibus de futuro contingenti intrepidè asserimus, partim ne cogamur dicere veritatem, quæ certum postulat subjectum inter duas enunciationes incertam volitare, partim, ne vel Deo cognitionem futurorum contingentium impiè negemus, vel cognitionem divinam caussam veritatis in enunciatione inscienter statuamus.

12. Modalibus enunciationibus ut multa sunt communia cum puris, ita quædam sunt peculiaria, ut quòd omnes necessariæ sint vel impossibiles, quòd affirmentur ac negentur affirmato vel negato modo, quòd in verbo dicti quantitatem habeant temporis designatam per modum.

13. Duo sunt Syllogismi naturales *Dictum de omni & dictum de nullo*, è quibus tanquam è fontibus manant quæcunque in Syllogismis arte constructis medium commune habentibus conspicitur colligendi necessitas, quique ideo principia Syllogismorum regulativa dicuntur: secundùm hæc principia actu concludunt Syllogismi primæ figuræ, potestate tantùm, quæ in secunda & tertia formantur, unde est quòd illi perfecti, hi imperfecti dicantur.

14. Syllogismos secundæ figuræ reductione ad primam perficiendos docet Arist. illos verò tertiæ, & reductione & ἐκθεσει, non quòd voluerit in sola tertia figura exstrui expositorios Syllogismos, sed quòd maximè & præcipuè expositorii dicantur qui in tertia fiunt: habent enim expositorii medium singulare, cui naturale est in enunciatione subjici, in sola autem tertia figura subjicitur perpetuò terminus medius.

15. Qui Syllogismos expositorios aut à phantasia aut partim à phantasia, partim ab intellectu formari dicunt, falsò nituntur fundamento quòd intellectus universalia tantùm cognoscat, non tem singularia.

16. Neque enim veremur nos asserere intellectum singularia

cognoſcere, & expoſitorios Syllogiſmos eſſe ſolius intellectus opera, & in omnibus figuris exſtrui poſſe, nec tantùm eſſe Syllogiſmos, ſed perfectos Syllogiſmos, ac per ſe evidentes, & exercere proximè vim duorum principiorum per ſe evidentium, *quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe, quæ non ſunt eadem uni tertio non ſunt eadem inter ſe.*

17 Syllogiſmi ducentes ad impoſſibile duas continent argumentationes, quarum prior eſt Categoricus Syllogiſmus, poſterior Hypotheticus Syllogiſmi κατὰ πρόσληψιν & purè Hypothetici, qui vocantur, Categoricis ſunt annumerandi. Hypothetici propriè ii ſoli ſunt, quorum major propoſitio eſt integer Syllogiſmus, ex quâ tranſumuntur & excerpuntur minor & concluſio, qui ideo κατὰ μετάληψιν dicuntur.

18. Syllogiſmi hypothetici vel conditionales ſunt vel diſjunctivi, in conditionalibus licet procedere à poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis, & ab everſione conſequentis ad everſionem antecedentis, non contra. In diſjunctivis licet procedere à poſitione aut everſione alterutrius membri, ad poſitionem aut everſionem alterius, modò maior conſtet partibus ita oppoſitis ut nihil ſit medium.

19 Argumentatio formalis poſtulat ut nullus terminus ſit in conſequente qui non fuerit in antecedente, in antecedente verò ſit aliquis qui conſequens non ingrediatur: ideo ſolus Syllogiſmus propria ſua virtute colligit neceſſariò veram concluſionem, reliquæ quæ vocantur argumentationis ſpecies non niſi virtute formæ Syllogiſticæ.

20. Syllogiſmi forma communis, non neceſſariæ tantùm & probabili materiæ, ſed impoſſibili etiam & improbabili poteſt accommodari: at materia Syllogiſmi probativi, (qui ſolus Syllogiſmi nomen meretur) ſi in ſe conſideretur, vel neceſſaria eſt, vel probabilis, ſi ut ſubiacet noſtræ cognitioni quadruplex, una neceſſaria, alia quæ non eſt ſed videtur, quædam probabi-

lis

lis, alia, quæ cùm talis non ſit, eiuſmodi tamen appa-ret.

21. Prout duplex vel quadruplex dici poteſt materia Syllogiſmi, ita vel duæ vel quatuor ſtatui poſſunt eius ſpecies: demonſtrativus ſcilicet Syllogiſmus, & Dialecticus, & qui his addi poſſunt, vel ad hos revocari Pſeudographicus & ſophiſticus, quarum tamen ſpecierum diſtinctio à fine non minus quàm à materia ſumenda eſt.

22. Demonſtratio affectionem ſubiecto ineſſe oſtendit per proximam cauſſam efficientem aut finalem. Eius maior, ut & concluſio debet eſſe ſecundi modi per ſe. Minor interdum primi, interdum ſecundi: primi, cùm medium eſt forma ſubiecti, ſecundi, cùm medium eſt qualitas: at ſi medium fuerit cauſſa efficiens externa, minor non erit per ſe, & maior erit per ſe quarto modo.

23. Demonſtratio ſitu tantùm terminorum differt à perfecta affectionis definitione. Cùm enim demonſtratio ſubjecto, affectione & medio conſtet, & definitio perfecta ex totidem partibus componatur, ſubjecto, genere, & cauſſa: Si ſubiectum affectionis fiat ſubiectum concluſionis, genus verò fiat prædicatum, & cauſſa medium, habetur ex definitione demonſtratio.

24. Effectus demonſtrationis eſt ſcientia. Hæc nec omnium rerum haberi poteſt ut putabant Empedoclei, nec propter immutabilitatem rerum è medio tollenda eſt ut volebant Sceptici: nec reminiſcentia eſt ut docebat Plato, falſo nixus fundamento, quòd animæ humanæ omnium ſcientiarum habitibus ornatæ definito quodam numero ante creata corpora à Deo manârint, quódque corporum commercio ſtatim quaſi hauſto oblivionis poculo inebrientur.

25. Nos cum Theologis affirmamus animam ſimul à Deo creari, & in corpus infundi. Cum Ariſt. aſſerimus eam à prima ſua origine eſſe quaſi nudam tabulam omni habitu deſtitutam deinde verò progreſſu temporis acquirere ſcientiarum habitus, ex principiis per ſe notis concluſiones deducendo.

26. Principia ut cognoſcantur non egent demonſtratione ſed

notitia tantùm terminorum, & quadam ex ſenſibilibus collectione, ideo nobiliore habitu, & eminentiore cognitionis gradu cognoſcuntur, quàm concluſiones, quia *ideſt magis tale quod eſt ex ſe tale quàm quod eſt tale per aliud.*

27. Dialecticus Syllogiſmus quem Ariſt ἐπιχείρημα dicit, quod ad diſputationem cum altero ineundam maximè ſit idoneus, medium ſumit quod cum extremis vel eorum altero contingentem obtinet unionem, qua ratione differt à demonſtrativo, cujus medium cum extremis neceſſaria connexione jungitur, interim quia quod neceſſarium eſt, poteſt judicio multorum eſſe probabile duntaxat, medium omne demonſtrativum poteſt eſſe Dialecticum, ſi cum altero ſaltem extremo probabiliter tantùm iungi exiſtimetur.

28. Interrogationes vel πυσματικαι ſunt vel διαλεκτικαι: πυσματικαι alicujus rei explicationem petunt, ideo ad eas reſponderi non poteſt per *ita* aut *non*. Ad διαλεκτικὰς affirmando vel negando reſponderi poteſt, quærunt enim an attributum aliquod alicui ſubiecto conveniat, eſt autem omne attributum vel genus, vel definitio, vel proprium vel accidens ſubiecti cui convenit, vel ad horum aliquod revocatur, unde propoſitionum & interrogationum dialecticarum quatuor genera exſurgunt.

29. Vt demonſtrativus Syllogiſmus ſcientiam parit, ita Dialecticus opinionem gignit non ὑπόληψιν τῆς ἀμέσου προτάσεως καὶ μὴ ἀναγκαίας, ſed mediatam illam per propoſitiones & ratiocinium acquiſitam, quę nihil aliud eſt quàm habitus inclinans ad aſſentiendum alicui rei cum formidine partis oppoſitæ, propter rationem probabilem, unde à ſuſpicione & fide humana diſtinguitur, quæ habitus etiam ſunt in intellectu ſpeculativo incvidentes & incerti.

30. Opinio & ſcientia poſſunt verſari circa idem obiectum materiale, quia de quacunque re eſt ſcientia de eadem poteſt eſſe opinio: at formalibus obiectis ex quibus ſumenda eſt ſpecifica earum diſtinctio, ſemper differunt, hæc enim eſt de re neceſſaria quatenus neceſſaria eſt, illa verò de re ſub ratione contingentis.

31 Ὁ μὲν ἐπιχειρῶν ἐστὶ πως οὕτως ἔχον πρὸς τὸν διαλεκτικὸν, ὡς καὶ ὁ ψευδογράφος πρὸς τὸν γεωμετρικὸν sicut enim pseudographema verę demonstrationis speciem præ se fert & ex propriis fallit, ita sophisticus Syllogismus dialecticum mentitur, & ex communibus decipit: pseudographico ideo magis metuendus, quod ex communibus sæpiùs quàm ex propriis disputetur, & in necessariis ob veritatis evidentiam rariùs quàm in probabilibus peccetur.

ETHICÆ.

CVM duo sint felicitatis humanæ gradus quibus duæ animæ facultates perficiuntur, philosophiæ, quæ felicitatem humanam pro fine sibi proponit, duæ erunt partes activa nempè & contemplativa.

2. Contemplativa mentem instruit, ut verum περὶ τῶν νοητῶν cernendo, in assidua eorum contemplatione acquiescat: activa voluntatem componit & affectus, ut eorum motus veræ virtuti sint consentanei: qui duo Philosophiæ fines imagines quædam sunt, & umbella summi boni absolutè perfecti.

3. Summum bonum absolutè perfectum, quo non in peregrinatione, sed in patria: non in cursu sed in termino cursus: non in via sed in vita: non in pugna sed in victoria potiuntur homines, in intuitiva Dei cognitione & celebratione consistit, hæc enim una, secum affert perfectum & constantem virtutum omnium statum.

4. De summo bono civili fructu & fine moralis Philosophiæ, in voluptatibus ab iis qui τὸν βίον ἐπολαυστικὸν ἀγαπῶσι, in honore à politicis, in opibus à χρηματιστικῆς, in habitu virtutum moralium à Stoicis perperam collocato, ita nobis & sensisse & loquuti videntur peripatetici, dum ipsum in probatione collocant, ut nec à Theologis, nec à Philosophis jure possint reprehendi.

5. Actio proba comitem individuam habet voluptatem, quam quòd non ſit medela alicujus doloris, nec prodeat ex remotione contrarii moleſtiam afferentis, Plato in Philebo puram appellat. In hac ſi *E*picurus (quod crediderim) ſummum bonum collocabat, cur tam impuri cenſendi Epicurei?

6. Cauſſa efficiens ſummi boni eſt virtus. Materia virtutum ſunt affectus. Affectus ſunt commotiones cordis à notitia & cognitione objecti excitatæ, illudque aut proſequentes aut fugientes. Hi, in Phyſica conſiderantur, ut affectiones animalium, in Ethica, ut virtute formandi & corrigendi.

7. Affectus non hominibus tantum, ſed feris etiam propriè competunt, nec mirum, cum non in anima rationali, ſed in ſenſitiva ſint tanquam in propria ſede: nec in homine tantum, ſed etiam in feris, interdum corriguntur affectus, interim moderationes affectuum in homine virtutes dicuntur, in feris minimè, quia in homine fiunt propria ratione, in feris aliena, in homine pro fine habent honeſtum, in feris utilitatem tantum & commodum hominis, in homine fiunt cum prælectione, in feris non item.

8. Stoici affectus omnes tanquam vitioſos, naturæ adverſos, cum ratione pugnantes, à ſapientis animo arcendos, & penitus evellendos fatuè docebant. cum nemo non videat quoſdam eſſe affectus civili vitæ adeo neceſſarios, & naturæ hominis adeo accommodatos, ut ſine eis nec rectè vivere, nec rectè homines judicari valeamus.

9. Ideo peripatetici rectius docuerunt virtutes in more poſitas, non ἀπαθείας ſed μετριοπαθείας requirere, quibus aſtipulantur Theologi omnes, qui affectus ἀνθρωποπαθῆ *D*eo tribuunt, nominatim *D. Auguſt.* qui cives ait ſanctæ civitatis *D*ei, in hujus vitæ peregrinatione ſub Chriſti lege viventes, metuere, cupere, dolere, gaudere, & niſi hoc faciant adverſari mandatis Dei.

10. Propenſiones ad virtutes nobis inſunt à natura: actiones vir-

virtutum, ex habitibus prodeunt: habitus ipſi more & aſſuetudine tanquam à proprio & proximo principio producuntur. Quia tamen doctrina mentem informat & conſtituit, mentis autem rectam conſtitutionem in homine per naturam benè affecto ſequitur congruens diſpoſitio appetitionum ſenſus, merito dixerit quis cum Platone 6. de Rep. inſpectricem Philoſophiam parere bonos mores.

11. Actiones ex quarum repetitione habitus moralium virtutũ acquiruntur, ab actionibus quæ habitus acquiſitos inſequuntur, ſpecie & forma proxima diſtingui affirmamus, cum illæ imperfectæ ſint, hæ perfectæ, illæ inconſtantes, hæ firmæ, illæ cum labore, hæ cum facilitate & alacritate: illæ cum interna pugna perturbationum, hæ cum perturbationum moderatione fiunt.

12. Subjectum moralium virtutum idem eſt quod affectuum, appetitus ſcilicet ſenſitivus, quia tamen ex recta ratione ut ex fonte manant, eamque ut principem ſequuntur, tanquam ad ducem & principem ad mentem pertinent, cujus eſt munere ſapientiæ, iudicare verum, munere voluntatis finem optimum velle, munere conſultationis & prudentiæ, congruentia media invenire, & aurigæ more appetitiones ſenſuum tanquam equos dirigere.

13. Virtutis præmium eſt honor, ad cujus ſacrarium qui contendit, per virtutis viam incedat neceſſe eſt. honorum gradus, qui cuique pro meritis non æquales omnibus decerni ſolent, arguunt virtutem ut in homine recipitur non eſſe poſitam in indiviſibili, ſed magis & minus ſuſcipere, licet nullam recipiat admixtionem contrarii.

14. Virtutes morales mira harmonia, conſenſione mira junctæ ſunt & colligatæ: at vitiorum ea eſt natura: ut ſimul juncta ſint, & maxime pugnent, pugnant ut ſunt duo extrema ſub eodem genere maxime diſtantia: juncta ſunt per principium, quia ut prudentia omnium virtutum, ita imprudentia principium eſt omnium vitiorum: per medium,

quia ut omnis virtus est in medio, ita omne vitium est recessus à medio: per finem, quia ut omnis virtus ducit ad honestum & summum bonum, ita omne vitium adversatur honesto, & parit summum malum.

15. Vitiis opponuntur & virtutes & vitia, virtutes tamen magis, cum propter hanc vitiorum omnium conjunctionem, tum quod vitia in eodem genere proximè conveniant, virtutes autem & vitia toto genere differant. hinc est quod vitium in vitium facilius vertatur quam in virtutem, faciliusque transeat prodigus V.G. in avarum quam in liberalem.

16. Scitè & verè dixit Seneca dissimilem esse conditionem moralis scientiæ & aliarum artium: in his, excusatius esse voluntate peccare quam casu; in illa, maximam culpam esse sponte delinquere. Cujus rei ratio est, quod in attinentibus ad artes & scientias tota perfectio posita sit in cognitione & exacta possessione habitus, actionum autem moralium probitas aut improbitas ex præelectione consurgat.

PHYSICÆ.

1. CVM ex nihilo nihil fiat (ut vetus est & verum efflatum) necesse est principium aliquod in omni generatione substerni tanquam Basin & fundamentum generationis, reique generandæ primordium & inchoamentum: illud materiam nuncupamus.

2. Quemadmodum materia generationi subjacet λόγον ἐχουσα θήλεος καὶ μητέρος ex Platone, sic per generationem adveniat necesse est alterum principium, quod sit absolutio, complementum & ultimus actus rei, hoc autem appellamus formam.

3. Materia maxime recedit à Deo, quippe pura potentia ab actu puro: at forma, ut aiebat Plato, est naturæ divinæ participata similitudo. Materia est quid ἄμορφον, forma vero decor & pulchritudo rei nativam materiæ nuditatem & deformitatem occultans. Materia est quid ἀόριστον, ἀδιάφορον, forma vero ἐντελέχεια, τελειότης, λόγος, τὸ τι ἦν εἶναι, qua unumquodque perficitur & ad certam entis speciem vocatur.

4. Vt materia per generationem extrinſecus non advenit, ſed tota ſubeſt ad ſuſtinendas contrariorum viciſſitudines, ſic forma nullo modo præeſt, ſed tota advenit tanquam hoſpes & inquilina materiæ, in qua ante adventum formæ nulla eſt inchoatio, nullus gradus formæ introducendæ.

5. Ideo formam partim ex nihilo fieri, partim non fieri ex nihilo quis dixerit. Ex nihilo, quatenus nihil ejus antecedit, & per interitum in nihilum ſui tranſit: non ex nihilo, eo modo quo ea quæ creantur, ortus enim formæ requirit ſubjectum per cujus tranſmutationem forma producatur ab agente, at creatio nullum ſubjectum poſtulat: ortus formæ requirit terminum à quo, qui ſit forma junctam habens privationem, unde *Vnius generatio eſt alterius corruptio*, at creatio talem terminum non poſtulat, ideo *Vnius creatio non eſt alterius deſtructio.*

6. Anaxagoras formas omnes actu latitare in materia & in eius quaſio gremio contineri exiſtimavit. Peripatetici contra nullam formam Phyſicam eſſe actu in materia merito aſſeruere, præter eam quæ vel à primo agente in materia creata eſt, vel è potentia materiæ educta, necdum expulſa.

7. Ex his duobus principiis forma & materia, actu, & poteſtate naturali quadam ſocietate unitis & conjunctis, oritur & coaleſcit unum quid perfectum & abſolutum, quod appellatur corpus naturale. Huius primaria affectio eſt motus, qui eſt *actus moventis ſimul & mobilis*, illius ut cauſſæ, huius ut ſubiecti.

8. Motus cognitione ſimplici res eſt per ſe ſatis nota, non tamen in communi ſumptus, ſed in ſuis ſpeciebus: at cognitione definitiva præſertim in communi ſumptus eſt res cognitu difficilis, quòd eius natura miſta ſit, quodam modo ex actu & potentia, plúſque videatur habere potentiæ quàm actus, unde Plato in Dialogo de ente ad genera non entium potiùs quàm entium reducendum putavit. Ideo mirum non eſt ſi cognito motu in ſuis ſpeciebus ſimplici cognitione, tum primùm illum videamur ignorare, cùm nobis proponitur exacta illa & accurata definitio, qua dicitur *actus eius quod eſt poteſtate quatenus eſt poteſtate.*

9. Motus ſpectatus ut ab alio in aliud inducitur actio eſt conſideratus ut in aliquo ab alio recipitur paſſio: ſumptus pro forma

imperfecta fluente ad ſuam perfectionem, reducitur ad Categoriam illam in qua eſt ea forma perfecta: ſumptus pro fluxu formæ, in nulla Categoria eſt per ſe, ſed eſt commune analogum, at ratione terminorum eſt in quantitate, qualitate, & ubi.

10. Motus in quantitate eſt accretio, quæ fit accedente alimento corporeo, quod recipitur non in vacuum, ſed in poros vel oppletos corpuſculis alimento locum facilè concedentibus, vel latera habentes contigua advenienti alimento ſe ſtatim pandentia.

11. Recepto intra poros alimento, extenditur corpus, non augetur per pulſionem ut digitorum ungues. Ad alimentum receptum, & converſum in ſubſtantiam viventis informandum, anima non de novo educitur, ſed quæ fluentibus materiæ partibus priùs ſe contraxerat, iterum extenditur, neque tamen ideo aut per ſe movetur, aut de ſubjecto in ſubjectum migrat.

12, Accretio & nutritio licet cõmunem habeant cauſſã efficientẽ, & materiam communem, variis tamen differunt modis: illa motus eſt, hæc mutatio: illa reſpicit affectionem debitæ magnitudinis pro exercendis operationibus viventis, hæc reſtaurationem partium loco conſumptarum à calore naturali: illa tandem ceſſat, hæc per totam vitam viventibus competit.

13. Motus in qualitate eſt alteratio, quam cum generatione malè confundebant ii qui unicum ſtatuebant principium: à generatione malè diſtinguebat Democritus qui ex atomorum congregatione generationem, ex ſegregatione corruptionem, ex ordine & ſitu mutato alterationem prodire docebat: nos cum Ariſtotele in his diſtinguimus, alteratio motus eſt, generatio ſubita mutatio: alteratione acquiritur qualitas, generatione forma ſubſtantialis: in alteratione manet idem ſubjectum ſenſibile, in generatione mutatur totum.

14. In Vbi eſt latio, præcipua & præſtantiſſima motus ſpecies, cùm quòd ſubiectum habeat nobiliſſimum, tum quòd ſubiectum ſuum non ita immutet, aut de ſtatu ſuo dimoveat ac reliqui motus, quę duo ſunt κρίτηρια & γνωρίσματα ex quibus Ariſtoteles de motus perfectione aut imperfectione iudicium vult fieri, 8. Phyſ. 7.

15. Cor-

15.Corpus naturale prima partitione dividitur in ſimplex & mixtum,& ſimplex in cœlum, quod Peripatetici quintam eſſentiam nuncupârunt, & quatuor elementa, quibus quinque corporibus cõmune eſt,quod ex aliis prioribus corporibus non conſtent.

16. Cœlum Ariſt. ſempiternum putabat, Plato genitum,nos quos alloquuta eſt veritas cœlo demiſſa ad archetypum & æternum exemplar in mente Creatoris in tempore factum eſſe ſcimus, nunquam corruptum iri aſſerimus, natura ſua incorruptibile eſſe arbitramur. Quinam enim Deo providentiam præcedentem tribuerint, & ab imperitia in agendo liberarint, qui cœlum creatum ab eo caducum dicunt mox futurum æternum, cùm efficere opus unius conditionis quod mox futurum ſit alterius, imperitiam agentis arguat, & providentia ſequens & emendans errata dicatur?

17. Cœlo materiam tribuere non veremur, cùm accidentia habeat quæ materiam inſequuntur: Sed cùm materia cœleſtis non ſit eadem numero cum privatione, nec comites habeat contrarietates, non eſſe talem qualis eſt ea mortalium affirmamus cum Ariſt,Metaph.8 context.12.& Metaph 12. context.10.

18.Corpora cœleſtia in inferiorem hunc mundum agere manifeſta experientia docet,in voluntatẽ humanam nihil perſe atque immediatè imprimere ſuadet ratio,nam cùm voluntas ſit immaterialis potentia, fieri nequit, ut à corporibus cœleſtibus quicquam directò patiatur: mediatè interim & ex accidente etiam in voluntatem humanam agunt,eam inclinando interventu organorum corporis, calefacere V,C.poſſunt cordis ſanguinem, quo efferveſcente appetitus iraſcibilis ad iram irritatur,ac voluntatem ſecum inclinat. Hujuſmodi tamen actionibus voluntati nullam inferunt neceſſitatem, ſed libertatem relinquunt, qua reluctari poſſit & reſiſtere,ut verè dictum ſit *aſtra inclinare non cogere.*

19.Elementa quatuor ſunt,ignis, aer,aqua,terra,quatuor lationibus ſimplicibus, quatuor qualitatibns motricibus, quatuor combinationibus primarum qualitatum, quatuor humoribus, quatuor temperamentis,quatuor ætatibus, & quatuor anni temporibus reſpondentia.

20.Conatus flammæ in aere non conſiſtentis,ſed in ſuperũ locũ

evolantis, ſuadet ad concavum lunæ eſſe ignem, nec lucentem tamen, nec urentem, præ tenuitate & raritate ſua, nec egentem amplius pabulo, jam in ſuo loco quanquam hinc abiens in regiam ſuam, ut imperium ſuum augeat, ſibi adſciſcat, ſecúmque avehat quæcunque poteſt.

21. Aër in tres regiones eſt diviſus, quibus omnibus ſuus ineſt calor, quanquam reliquis frigidior ſit media, quippe deſtituta motu in orbem, quo incaleſcit ſuprema, & repercuſſu radiorum ſolarium, quo inardeſcit infima, & ab halitibus terreis & aqueis nativum frigus redeuntibus refrigerata.

22. Duo elementa gravia terra & aqua naturali impetu è ſublimi in præſcriptas ſibi à natura ſedes feruntur, in quibus ita requieſcunt ut deorſum amplius non nitantur, niſi fortè aut elementũ levius ipſis ſupponatur, aut vacui periculum immineat.

23 Elementa non minùs quàm animalia à propriis ſuis formis proximè moventur, quamvis motui animalium in multis diſſimilis ſit motus elementorum. Formæ animalium movent cum reſiſtentia interna, formæ elementorum cum externa tantùm: formæ animalium movent per inſtrumenta propria, formæ elementorum ſine inſtrumentis: formæ animalium movent ad libitum, formas elementorum neceſſariò ſequitur motus: in animalibus ſola materia apta eſt, quæ per ſe moveatur, elementorum materia, quia prima eſt, motus ſubjectum eſſe nequit.

24 Calor, frigus, humor, ſiccitas non ſolo nomine qualitates dicuntur, ut manifeſtum eſt ex eo quod per ſe cadant ſub ſenſum, quod contrarium habeant, quod intendantur & remittantur, quare elementorum formæ eſſentiales dici non poſſunt, niſi quis velit fateri materiam elementorum poſſe ſine omni forma ſubſtantiali conſiſtere, & vel elementa non eſſe compoſita *Phyſica*, vel aliquid compoſitum *Phyſicum* ex materia & forma non conſtare.

25. Ex elementis fiunt mixta, in quibus ſervantur & formæ elementorum, non quidem integræ, & ut quatuor formæ, ſed refractæ & ut gradus & modi formæ mixti, & qualitates elementares, ſed caſtigatę in ſuis excellentiis, & ad mediocritatem redactæ, quæ temperamentum dicitur.

26. Mixtorum corporum, imo omnium aſpectabilium Dei operum, longè præſtantiſsimum eſt homo, in quo ſpectari poſſunt corpus, anima vegetans, anima ſentiens, & anima rationalis.

27. Corpus humanum optimum temperamentum & ſtructuram accepit, quod animæ rationalis, quæ formas omnes Phyſicas nobilitate ſuperat, futurum eſſe non pœna, vel carcer, vel ſepulchrum, ſed commodum domicilium, & ad actiones humanas obeundas idoneum inſtrumentum, rationi enim conſentaneum fuit nobiliſſimæ formæ nobiliſſimam eſſe materiam, & nobiliſſimi incolæ domicilium nobiliſſimum.

28. Anima vegetans homini cum omnibus viventibus eſt communis, ejus facultates præcipuæ tres ſunt, altrix, auctrix & procreatrix, quas ab animę eſſentia non ratione tantum ſed re quoque differre aſſerimus, cùm hæc ſubſtantia ſit, illæ qualitates, cumque ſublato omni inter animam & ejus facultates diſcrimine ipſarum quoque facultatum inter ſe diſcrimen tollatur *quæ enim ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe.*

29. Anima ſentiens homini cum omnibus animalibus eſt communis, eſtque principium ſenſuum & interiorum & exteriorum. Senſuum exteriorum præſtantiſſimus eſt viſus, cujus objectum eſt color & lumen: medium corpus luminoſum: organum duplex, alterum craſſius, oculus, alterum ſubtilius, & ad animæ ſubſtantiã magis vergens, ſpiritus animales in nervis opticis contenti, quibus anima tanquam promis, & ſequeſtris utitur ad receptionem: finis in animalibus eſt vitæ commodũ, excubant enim oculi ut exploratores è ſpecula, corporis commoditatibus proſpicientes, in hominibus vero cognitio & locupletatio intellectus.

30. Viſionem non per ἔκχυσιν ſeu ἔγχυσιν radiorum, ſed per ἴμπτωσιν εἰδώλων fieri certum eſt, quia omnis ſenſus eſt potentia paſſiva & ſuſcitatur ab objecto, ad actum congenerem eliciendum: quia viſionem in oculo fieri neceſſe eſt, ac proinde ad oculum confluere quæcunque ad eam concurrunt: quia vehemens objectum lædit oculum: quia ſpeculum ab objectis accipit imagines, eſt autem oculus animatum quoddam ſpeculum, ut ſpeculum eſt oculus inanimatus.

31. Anima rationalis, eſt forma quidem in materia, ſed immateri-

terialis,forma corporis ſed independens à corpore, perſe ſubſiſtens,interitus expers,nunquam ſeneſcens aut fatigata, licet corporeæ vires,quarum in operando conſortio utitur,vel caſu aliquo debilitatæ,vel continuo opere,multoque uſu detritæ, non poſſint interdum quæ ab iis jure naturæ exiguntur præſtare operationes.

32. Hujus facultates duæ ſunt,intellectus,quæ τα νόητα cognoſcit & dijudicat,ac voluntas, quæ liberè objectum ſibi ab intellectu ſub ratione boni monſtratum appetit,in eoque qua bonum acquieſcit. Has facultates ab animæ rationalis ſubſtantia reipſa differre affirmamus cujus aſſertionis veritas hac ratione demonſtratur,quod cum intellectus & voluntas poſt lapſum non leviter ſint labefactatæ,incolumis & incorrupta manſerit animæ ſubſtantia.

33. Animæ hæ tres ita ſeſe ſubeunt in fetu , ut primò induat fetus animam vegetantem, deinde ſentientem excipiat, tandem in fetus non rudem & incompoſitam materiam,ſed organis aptè & concinnè confirmatam θύραθεν και ουρανόθεν à Deo ipſo αμεσως deſcendat anima rationalis ου γας ἅμα γίνεται ζῶον και ἄνθρωπος. Ariſt.2.de gener. animal.cap.3.

34. Adventu animæ rationalis corrumpi , aut in facultates tranſire vegetantem & ſentientem nihil cogit dicere, ſi enim nihil obſtat quominus eadem res ſit & vivens, & animal, & homo, certe qui eidem homini tres animas tribuit tanquam tres formas ſed ὑπαλλήλως τεταγμένας. Ita ut ſola rationalis ſpecifica ſit & det ultimum eſſe,reliquæ duæ ſint generales, is hominem nec in tergeminum Geriona, nec in triformem Hecaten , nec in aliud quid trinum triplexve ab Auſonio animadverſum tranſformat.

META-

METAPHYSICÆ.

1. CVm Metaphyſicæ ſubjectum Deum Opt. Maxi. & reliquas ſubſtantias corporis expertes res non modo præſtantiſſimas, verumetiam ſimpliciſſimas, & natura ſua notiſſimas, & omnium maxime ſtabiles complectatur : cumque Metaphyſicus ἐκ τῶν ἀνοτέρων ἀιτίων ſciat καὶ ἐξ ἀιτιων, μὴ ἀιτιάτων jure optimo cum Ariſt. dixerimus Metaphyſicam eſſe πάντων κυρίαν καὶ μάλιϛα ἐπιϛήμην.

2. Vt reliquarum domina & princeps ita homine digniſſima eſt hæc ſcientia: nihil ſiquidem homine dignius eſt, quam ad rerum divinarum cognitionem aſpirare, nihil magis alienum à dignitate hominis, qui partim rerum corporearum, partim incorporearum particeps eſt (qua de cauſſa ab aliis nexus Dei & mundi, ab aliis rerum materialium & immaterialium horizon appellatus eſt) quam ea ignorare cum quibus præſtantiore ſui parte communicat.

3. Huic ſcientiæ, quæ ens qua ratione ens eſt contemplatur, ſubjiciuntur quidem reliquæ omnes, quæ ſpeciem aliquam entis conſiderandam aſſumunt, at propriè non ſubalternantur, quod ſubjecta ſua per diverſos conſiderandi modos diſtinguant.

4, Licet hujus ſcientiæ ſubjectum ſit ens, qua ratione ens eſt; non omnes tamen entium naturæ à Metaphyſico diſtinctè cognoſcuntur (ita enim ſupervacaneæ forent reliquæ omnes ſcientiæ) ſed illæ tantum quæ in ſuis conceptibus nullam materiam includunt: ideo ſolas ſubſtantias ſeparatas diſtinctè ſecundum omnes ſuos conceptus tam generales quam ſpeciales intelligit Metaphyſicus, re ipſa autem materiatos quoad conceptus tantum generales quibus cum immaterialibus conveniunt, ut quoad conceptus entis, ſubſtantiæ & ſimilium.

5 Affectiones entis, qua ratione ens eſt, competentes in quibus con-

considerandis & demonstrandis primi Philosophi cura versatur, vel conjunctæ sunt, vel simplices: conjunctæ, non nisi cum disjunctione cum ente convertuntur, quales sunt idem aut diversum, necessariũ aut contingens: simplices sine disjunctione, quales sunt tria illa vulgata attributa quæ cum ente quaternarium numerum transcendentium constituunt, *unum, verum, bonum*. Nam quæ his addi solent *res* & *aliquid* ab ente non distinguuntur.

6. De tribus hisce affectionibus ens non prædicatur in quid, quia nec sunt omnino idem cum ente, nec addunt enti aliquid reale positivum formaliter ab eo distinctum, nec etiam modum aliquem realem intrinsecum. Omnis enim modus contrahit ens, ut esse finitum, infinitum, per se, in alio, actu, potestate, unum autem, verum, & bonum, æquè latè patent ac ens.

7. Vnum addit enti solam negationem divisionis per modum privationis, nec formaliter includit ens quemadmodum Arist. non obscurè docet. 5. Met. 6. κωλοκου γὰρ ὅσα μὴ ἔχει διαίρεσιν ἢ μὴ ἔχει διαίρεσιν ταυτὴν ἓν λέγεται. neque enim adhoc ut attributa aliqua sint veræ passiones entium realium requiritur necessariò ut ipsa sint formaliter entia realia, sed satis est si reciprocentur cum subjectis quibus attribuuntur, & ex eorum natura quasi nascantur, etiamsi negativa sint, aut relationes rationis.

8. Verum transcendens nihil formaliter significat præter relationem rationis, conformitatem scilicet rerum cum rationibus formalibus ipsarum, quæ sunt in mente divina. Propria tamen est, & reciproca entis affectio, quod significavit Arist. pronunciato isto libri secundi *Vt unumquodque est ita verum est*.

9. Huic vero nullum opponitur falsum, quia nihil potest in rerum natura existere quod possit non esse conforme intellectui divino. A falsa quidem applicatione conceptus humani potest res dici falsa, ut quod aurum mentitur falsum aurum, at id ipsum comparatione intellectus divini est verum aurichalcum, aut aliud quid quod nobis aurum videtur.

10. In bono nihil reperitur prius, quod appetibilitatis caussa esse possit quam convenientia, quicquid enim appetimus id ea de caussa appetimus, quod nobis vel aliis quibus illud appetimus,

aut conveniat, aut convenire videatur; nec alia est ratio sub qua noster appetitus moveatur, quare cum bonum transcendens, nec ens formaliter significet, nec negationem, reliquum est ut significet relationem convenientiæ.

11. A subjecto principali Theologia denominata est hæc scientia quæ tamen à sacra Theologia distincta manet ratione generis, finis, principiorum, & subjecti. Sacra enim Theologia prudentiæ similis est, Metaphysica sapientia est: illius finis est cognitio eorum ad quæ intelligenda nullum naturale lumen creaturæ satis est, hujus finis est naturalis contemplatio eorum omnium quæ in suo conceptu materiam includunt: illa non alia principia propria & particularia habet nisi per revelationem accepta, hujus principia cadunt sub lumen naturale: illius subjectum est Deus quoad ea quæ naturali lumine cognosci nequeunt, in hac consideratur Deus quatenus naturali lumine potest cognosci.

12. Inter demonstrationes quæ de ente increato, & eas quæ de entibus creatis in Metaphysica formantur hoc est discrimis. De ente creato per causas propriè dictas, demonstrari possunt propriè dictæ affectiones. In ente autem increato, nostro tantum intelligendi more considerantur quædam principia à priori quorundam attributorum quæ de eo demonstrantur more affectionum, ut per esse actum purum immutabilitas: per immutabilitatem æternitas; per rationem entis unitas.

Astronomicæ & Cosmographicæ.

1. QVemadmodum in elementis idem est ordo dignitatis qui est situs, ita orbes cœlestes quantò sedem habent eminentiorem tantò nobilioris sunt naturæ, continens enim & superius contento & inferiori formalius est.

Hæc Arist. non obscurè docuit, qui primo de cœlo context. 16. præter corpora, quæ hic prope nos sunt aliud ponit τοσούτῳ τιμιώτερον ἔχον τὴν φύσιν, ὅσῳπερ ἀφέστηκε τοῦ ἐντὰυθα πλέον, & Met. 12. cap 8. ordinem & dignitatem intelligentiarum ordini & dignitati motuum & mobilium respondere affirmat.

2. Astrologi ex triplici quem in firmamento observant motu decem esse orbes cœlestes colligunt, quorum duo supremi nullam stellam ferunt infixam, octavus magna exornatus est varietate stellarum, quę quòd pari semper circumrotentur distantia fixæ nominantur: Septem reliqui singuli singulas habent stellas, quæ, quòd eundem semper situm non servent, planetæ & erraticæ appellantur.

3. Planetis accidunt altitudo, humilitas, retrogradatio, statio & alia multa, quorum reddi non potest ratio, nisi cujusque Planetæ sphæra tres orbes continere dicatur, duos exteriores mundo concentricos, planetarum perigæa & apogæa deferentes, & his concludum eccentricum, qui in Solis sphæra corpus Solis defert, in cæteris epicyclum, qui est sphærula eccentrico infixa corpus planetæ vehens.

4. E planetis quandoque lumine deficiunt Sol & Luna, Sol Luna prohibente quominus ejus lumen ad nostros oculos feratur. Luna, terra interposita inter Solem & Lunam, & cono umbræ terræ cadente super corpus Lunæ, ita ut Sol radiis suis Lunam illustrare non possit, utraque hæc eclipsis potest esse totalis.

5. At Luna universæ terræ simul obscurari potest, Sol non nisi ei regioni inter quam & Solem Luna tunc temporis intercedit: Luna in eclipsi revera privatur lumine, Sol de lumine suo nihil amittit: In eclipsi Lunari Luna Soli opponitur, in Solari Soli conjungitur.

6. Non quotiescunque Luna Soli conjungitur & opponitur fiunt deliquia, (ita enim singulis annis duodecies fierent) sed tum demum cùm in capite & cauda Draconis seu diametraliter ut loquuntur, & in ipsis intersectionum punctis coniungitur & opponitur, dicitur autem diametraliter opponi, cùm Sol, terra & Luna sunt in eadem linea recta transeunte per horum corporum centra vel non procul inde, & diametraliter coniungi, cum linea

recta

rectè ex oculis noſtris excurrens tranſit [illegible] trum.

7. In orbibus cœleſtibus duo præcipui ac notiſſimi motus obſervantur: Primus quem Plato ταυτοῦ φορὰν Ptolemeus πρωτην φορὰν καὶ νυχθημερινὸν, Copernicus quotidianum, alii diurnum & communem vocant, quo tota cœli machina viginti quatuor horarum ſpacio ab oriente in occidentem & contra circumagitur: & ſecundus quo reliqui orbes omnes primò quaſi contranitentes, ab occaſu in ortum circa axin Zodiaci moventur.

8. Circuli cœlum ac ſtellarum motus diſtinguentes, alii mobiles ſunt, alii immobiles. Mobiles æquinoctialis, Zodiacus, Tropici, Coluri, & Polares: quorum æquinoctialis eſt menſura primi motus, & terminus à quo initium ſumunt declinationes ſtellarum: Zodiacus, eſt menſura motus ſecundi & eclipticam continet, quę eſt terminus à quo computantur latitudines ſtellarum: Tropici initia ac fines annorum ſolarium determinant: Coluri maximam ſolis declinationem definiunt, annum in quatuor partes ſecant, & initia Veris, Æſtatis, Autumni, & Hyemis demonſtrant: Polares diſtantiam Polórum Zodiaci à Polis mundi determinant.

9. Immobiles ſunt Horizon & Meridianus, quorum Horizon rectam & obliquam Sphæram facit, & quæ ſtellæ ſint perpetuæ apparitionis, quæ perpetuæ occultationis indicat. Meridianus eſt terminus à quo Aſtronomi ſumunt initium diei naturalis, quod Athenienſes & Iudæi ab occaſu, Babylonii ab ortu, Romani & Germani à media nocte ſumere ſolebant. Metitur etiam meridianus longitudines & latitudines locorum.

10. Longitudo loci, eſt ſegmentum æquatoris, vel paralleli per locum tranſeuntis, comprehenſum inter meridianum ejuſdem loci & meridianum Inſularum fortunatarum. Latitudo verò eſt ſegmentum meridiani cõcluſum inter æquatorem & parallelum ejuſdem loci.

11. Inter Meridianum & parallelum, hoc eſt diſcriminis. Meridianus mutatur ſecundùm loci longitudinem, non latitudinem: Parallelus verò mutatur ſecundùm loci latitudinem non longitudinem. Ideo proficiſcentibus à Polo ad Polum idem ſemper ma-

[redacted] ab
[redacted] anus,
[redacted] qua in Sphæra mate-
[redacted] uo Tropici, [redacted] uo Polares, quibus di-
[redacted] plagæ, [redacted] arum quæ inter duos
[redacted] amphicia, quæ inter Po-
[redacted] , & Polum Antar-
[redacted] comprehendun-
tur frigidæ & Periscie: quę denique
[redacted] & Circulis polaribus
[redacted] temperatæ
& heteroscix.

FINIS.